UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Tractatus Theologico-Moralis De Sacris Ecclesiasticorum Ministeriis, Hoc est, De Horis Canonicis, & Missæ Sacrificio

**Biesmann, Caspar**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno 1695.**

Caput IV. An materia consecrationis debeat esse consecrati præsens & per illius intentionem determinata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42206**

Visual Library

# CAPUT IV.

*An materia consecrationis debeat esse consecranti præsens, & per illius intentionem determinata.*

MAteria panis & vini Sacerdoti consecranti debet esse moraliter & sensibiliter præsens, quia alias non verificabuntur pronomina hic & hoc: Illæ enim particulæ cùm sint demonstrativæ, significant rem præsentem. Undè materia post parietem posita vel clausa in tabernaculo non consecrabitur, quia non est moraliter præsens. Est comm. DD.

Materia panis & vini debet esse moraliter & sensibiliter præsens.

Quid si materia sit post parietem, vel clausa in tabernaculo.

Quoniam pronomina hoc & hic juxta proprium sensum, & vi suæ institutionis demonstrant, & significant rem præsentem, quod non faciunt pronomina illud, ille, &c. Hæc enim vi suæ institutionis etiam significare possunt rem absentem: ut si Petrus in platea mihi loqueretur de aliquo libro meo, rectè dicam ille vel iste liber, etsi absens sit, est meus. Undè si quis consecraret ponendo loco pronominis

Cùm pronomina: hic & hoc, significent rē præsentem, loco illorũ non poterunt poni pronomina: illud & ille.

minis hoc, pronomen illud, dicendo, illud est Corpus meum, probabiliter validè non consecraret. Vid. *Vasq. disp.* 171. *c.* 4. Cùm inquam supradicta pronomina propriè sint demonstrativa rei præsentis, hinc circa formam consecrationis duo advertunt Theologi. Primò in consecratione debere materiam esse præsentem, nam ut paulò ante dixi de re distanti aut absenti cum veritate dici non potest hoc vel hic: Quantum autem materia distare possit à consecrante, id disputant Theologi. Quorum aliqui putant posse distare ad decem passus, alii ad viginti. Vid. *Henriq. l.* 8. *c.* 14. Tu in re dubia sequere, quod tutiùs est, ádeóque materiam consecrandam tibi proxime præsentē habe.

Materia consecrationis quantum possit distare à consecrante.

Secundò notant Theologi ex dictis pronominibus materiam debere certam esse & determinatam. De re enim indeterminata hic aut hoc dici non potest v. g. si inter decem homines unus esset infirmus, tu autem nescires, quis ille esset, non poteris verè dicere, hic homo est infirmus, ad hoc enim requiritur, ut determinatè nôris infirmum. Idem est si inter decem

Debet esse certa & determinata.

hostias

hoſtias, unam velles conſecrare, neceſſe eſt, ut per intentionem tuam illam determines, adeóque cum veritate poſſis dicere hoc, &c. Debet itáque conſecrationis materia ſemper certa eſſe & determinata per intentionem Sacerdotis: Non erit autem certa & determinata, ſi intendas ex multis illas conſecrare hoſtias, quas Deus elegit, aut conſecrare partes hoſtiæ, quæ fractâ ſacrâ Hoſtiâ ſimul manſuræ ſunt, non verò, quæ illa fracta decident, quia neſcis, quænam ſint illæ hoſtiæ, quas Deus elegit, item ignoras illas partes, quæ fractâ ſacrâ Hoſtiâ manebunt, aut decident. Vid. *Bon. d. 4. q. 2. p. 5.* Porrò ne opus ſit de guttis vini extra vel intra Calicem detergendis ſollicitum eſſe ſcrupuloſè (nam laudabiliter facies illas ſemper detergendo) bene faciet Sacerdos, ſi ſemel pro ſemper intendat ejuſmodi guttas non conſecrare, uti nec micas hoſtiæ adhærentes: Videtur enim ex probabili ſententia eſſe mens Eccleſiæ ut non conſecretur niſi id, quod eſt per modum continui in Calice aut in Hoſtia. Vid. *Laym. lib. 5. tr. 4. c. 2. Suar.* &c. Cui ſen-

Erítne determinata, ſi ex multis intendas illas hoſtias conſecrare, quas Deus elegit, &c.

Quid dicendum de guttis vini extra vel intra Calicem.

Item de micis hoſtiæ adhærentibus.

Quid si per errorem essent plures hostiæ, quã Sacerdos opinaretur:

sententiæ te poteris accommodare utpote probabili. Quod si fortè per errorem arbitrareris non adesse nisi tres aut quatuor hostias consecrandas, essent autem plures, valida erit omnium hostiarum consecratio, quia Sacerdos habet implicitam intentionem consecrandi omnes præsentes: Nemo enim Sacerdotum est, qui non velit consecrare juxta consuetudinem & mentem Ecclesiæ: Hæc est autem mens Ecclesiæ, ut consecrentur omnes præsentes in uno cumulo supra Altare consecratum & corporale positæ, ut patet ex Rubricis Missalis.

Aut si tempore consecrationis oblitus fuisses aperire ciborium, in quo erãt hostiæ consecrandæ.

Quod si oblitus fuisses tempore consecrationis aperire Ciborium aut Calicem, in quo sunt Hostiæ consecrandæ, noli propterea dubitare de valida consecratione, modo cætera requisita adfuerint. Vid. *Dian. p. 3 tr. 6. res. 103 Tamb.* &c.

An hostiæ plures consecrandæ debeant necessariò poni super altare ante Offertoriũ.

Quanquam Hostiæ consecrandæ juxta Rubricas Missalis ponendæ sunt super Altare, antequam fiat Offertorium, interdum tamen licitè consecrabis eas, modò adsint ante Præfationem, imò & immediatè ante Consecrationem

v. g.

v. g. in eo casu, in quo si non consecrarentur, plures oporteret dimittere sine Communione. Sufficit autem istarum hostiarum oblationem in tali casu mente & non verbis facere. Vid. *Tamb. lib. 2. de Sacrif. c. 5. §. 2.* Dixi plures, &c. nam si unus solus absq; Communione dimittendus esset, non consecrabis novam hostiam, sed diffringere poteris particulam hostiæ minori circiter æqualem ex tua hostia majore, eamque ipsi porrigere. Vid. *Gav. par. 2. Tit. 10.* & alios, quæ doctrina etiam servire potest, si post consecrationem v. g. moneretur Sacerdos de dando Viatico alicui subitò infirmato in defectu minorum hostiarum. Habétque hic casus non rarò locum tempore pestis.

Quid si post Offertoriū ponerentur, sufficiétne oblatio hostiarum facta mente & non verbis.

---

## CAPUT V.

*Ex modò dictis quædam clariùs elucidantur.*

AD meliorem præcedentium elucidationem nota sequentia. Primò, quamvis nonnulli sint, qui putent essentiam Sacrificii

1. In consecratione unius speciei non habe-